


M Sarġrichez

Barb lon

ARGUMENTUM à PARI

Eruditæ Virtutis & Laureati Honoris;

In Perillustribus & Reverendissimis Dominis

D. M. JOSEPHO VALENTINO

in Magna PACZOSKI

PACZOSKI,

J. U. PROFESSORE, CANONICO Camenecensi, SCHOLASTICO Zamoscensi, PRÆPOSITO Tarnogrodensi, Prothonotario Apostolico.

D. M. ANTONIO STANISLAO GORSKI,

J. U. PROFESSORE, Insignis Collegiatæ Zamoscensis CANONICO, PRÆPOSITO & DECANO Turobinensi, Prothonotario Apostolico.

Dum In Alma Universitate Cracoviensi,

JURIS UTRIUSq; DOCTORES,

PER

MAGNIFICUM, PERILLUSTREM & ADMODUM REVERENDUM D.

D. M. ADALBERTUM MICINSKI,

J. U. DOCTOREM & PROFESSOREM, Ecclesiarum Collegiatæ SS, OO. Cracov: CUSTODEM, Parochialis in Luborzyca CURATUM, Studij Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Vigilantissimum RECTOREM,

In Magna Illustrium Hospitum Corona,

Ritu Solenni Renuntiarentur.

à M. NICOLAO IWANSKI, Ph. Doct: & Prof: Collega Minore.

In vim Gratulatorij applausus

DEMONSTRATUM.


Anno Domini 1744. Die 22. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ Typis Collegij Majoris Universitatis.



CARMEN VOTIVUM.

Applaudas Craci Parnassi Præses Apollo,
Inclina Collem tempora Digna Viris,
Præcingit meritò pro tantis Laurea Juris,
Factis quæ fastis fama notavit enim
Sacra Themis Vobis pro curis præmia reddit,
Emeritas frontes tanta Corona decet,
Vivite sub Lauro, quam confert Cracia Pallas
Incolumes, fausti, carmine Musa canit.



ARGUMENTUM
à PARI
Virtutis eruditæ & Laureati Honoris.

ADeste doctæ mentes!
ad instantiam meritorum
In Areopago Divæ Themidis
Quæstio proponitur?
Quam solvere
Lex jubet & obligat.
Virtusne erudita?
An Laureatus honor virtuti sit præponendus?
Argumentum à pari de utroq; habetur.
Eminet virtus in honore, sed & honor in virtute.
Utrumq; par geminum,
Ornat virtus honorem, non minùs honor virtutem
Utrumq; sibi pretium & decus.
Hæc duo extrema
ita sunt secum connexa,
ut unum sine altero subsistere nequeat.

Demas virtutem Honori
Quid erit?
Nisi magnificum nihil
& pulchrum in rebus inane.
Decrescit augustæ dignitati pondus,
ubi deest gravitas meritorum.
Illustres extingvuntur tituli
absq; splendore probitatis.
Nec Regales fulgent Coronæ
Quibûs hæc Gemma non addit nitorem.
Ita sanè;
Est honori ornamentum à virtute
Sed & virtuti ab honore
Quæ licet ex natura sua sit splendida
Relucet tamen clariùs in Celsissimis
Resplendet Majestuosiùs in Serenissimis,
Honorificentior apparet in Honorijs
adeò
Vt credere sit fas;
Hoc esse eruditã Virtutẽ quod Laureatũ Honorẽ.
Disparitas hìc nulla.
nam virtutis est præmium honor,
Et virtus præmiatrix honoris.
Hoc Argumentum apodicticum
In Vobis
Peril-

Perillustres & Reverendißimi Domini

V. J. Neo DOCTORES.

Uterq; enim Vestrûm
Et certare par, & respondere paratus.
Ambo probata virtute
& meritîs ornatissimi.
Ad Horum instantiam
meritò Doctoralis Vobis in Jure debetur Honor,
Quem exantlati in Scholastica arena labores
Boni publici curæ,
Iam pridem meruêre;

Hinc

Descendo ad Argumentum.
Tu mihi primum illius objectum & materia es
Perillustris & Reverendissime Domine
JOSEPHE VALENTINE
In Magna Paczoski

PACZOSKI,

J. U. Professor, Ecclesiarum Cathedralis Camenecensis Canonice, Insignis Collegiatæ Zamoscensis Scholastice,
Tarnogrodensis Præposite,
Prothonotarie Apostolice
Qui omni genere virtutum,
& solido eruditionis Argumento
EXCELLENS

Doctoralem Lauream
plausu Nobiliore capessis.
Musa non silet.
Nam dulces tendunt Camanæ fides,
Et inter altos devoti recessus silentij tibias adusq; inflant.
Quàm olim extremitas Minor ætatis Tuæ.
Nobilioris Sanguinis ductu
Evidentis argumenti principium materiale extiterat.
Ubi in flore Iuventæ
Fructus eruditionis colligens,
Dedisti documenta egregiæ Indolis
Quantus olim futurus eras.
Monstravit virtus à teneris Alcidam,
Quis postea foret.
De Te
Spes omnium conceptæ judicârunt
Qòod pietatis exemplô & Studiorum profectu
Non tantùm cæteris par
Séd alijs eminebis.
Nec falsa augurio spes præconcepta suô.
Vix enim arenam ingressus literariam
Protinus pulvis Scholasticus
Tumuit Tibi in Olympum Gloriæ
In Quo
Non minùs eruditionis quàm Nativæ virtutis,
Gentilitiâ Soleâ vestigia reliquisti.
Brevi

Brevi assecutus ea
pro quibus ab alijs toto vitæ laboratur tractu.
Vnde Decanalis Murex
Ultrò se Tuis ingessit Humeris,
Repetitîs vicibûs
Illos exposcens lacertos;
à quibus Purpuræ honor,
& omnis reverentia foret.
Zamoscensis Vniversitatis
primùm Generalis Procurator
dein Senior Pater
Id omnino curæ habuisti,
Vt Bono Communi semper fieret bene.
Ad Tribunal Regni
Citaris Calame!
Quantũ hìc Aristides pro justitia egerit
edissere:
Non egeat Tripode Polonia.
Hìc Vir ipsa oracula pandit;
In Consilijs CONSVM.
In Tribunalibus æquissimum Judicem gerens,
id unice curabat;
ne desit sceleri timor,
& tutamen calamitosæ virtuti.
Non audet ampliùs assurgere penna,
Materies enim rectefactorum

obruit ſcribentem.
Sufficit dicere,
Hìc Vir Eccleſiæ decus
Muſarum præſidium
Virtutum epithome
Quem Illuſtres Majorum Ceræ
Deductum longa ſerie ab Atavis Proavisq; Nomen.
Sat Lechico commendat Orbi.

Ignoſces

Reverendiſsime Domine Neo DOCTOR,
Quod Aborigenes Tuos
non revoco ad calculum,
Immensùm enim alti Sanguinis Tui mare
Exiguis paginæ huius
marginibûs coarctare,
Difficile eſt.
Permittes ſaltim
Magnifici Domini
ALBERTI JOANNIS
in Stàny
S T A N S K I
Subdapiferi Podlachiæ,
Capitanei Szczebrzeſzynenſis,
Avunculi Tui Digniſſimi,
innuere Nomen,

In

in Republica clarissimum
in Areopago Divæ Themidis celeberrimum.
Hic primò Regens Castrẽsis Varsaviẽsis Dignissim9
In Palatinatu Podlachiæ Drochiciensis,
Demum Judiciorũ Mareschalcaliũ Regni,
Notarius æstimatissimus.
Quidquid pro Justitiæ zelo
In Diphteris & Pandectis annotavit,
aurô cedrôq; dignum.
Quot verba in paginis expressit,
tot Licurgi effata.
Vir de Lege & Patria meritissimus.
His ex præmissis.
De Te *Perillustris & Reverendissime Domine,*
in forma virtutis & meritorum dispositum
concluditur argumentum.
Ergo justè
Doctoralis in Jure emeritum cingit Corona Caput.
Et Jamne solutum argumentum à pari, minime:
De Te argumentari liceat
Perillustris & Reverendissime Domine
STANISLAE GORSKI,
U.J.In Universitate Zamoscensi Profesor,
Prothonotarie Apostolice,
Insignis Collegiatæ Zamoscẽsis Canonice,
C Præ-

Præposite & Decane Turobinensis.
Supremi Tribunalis Dominij Civitatum
Ordinationis Zamoscensis
Generalis ac Privilegiate ASSESSOR.
In Quo
nullus honor sine virtute,
nulla virtus sine dignitate.
Vix etenim benignior Lucina
Te in delicatiori ablactaverat sinu,
illico
Tam honoris quàm virtutis
adæquatum subjectum exstitisti.
Crescebas cum annis ad titulos,
præbente incrementum virtute.
Doctæ Camænæ
Hippocrenes Te lavârunt, undîs
Ut quorumvis Honorum fieres Candidatus.
Philosophicus ad Cathedram ascensus.
Gradus Tibi ad altiora fuit.
Nulla enim invia virtuti via.
Hâc ad Decanalem ivisti-Purpuram.
Redivivus Philosophorum PRINCEPS,
Argumentô solidus,
subtilis ingeniô,
utroq; commendabilis.

Pa-

Parū erat uno lacertos condecorari ostrô,
Adhuc Rectoralis Dibapha
ultro se humeris Tuis ingessit,
ut magnificentiùs emineret.
Felix Zamosciana Pallas
Tantum nacta RECTOREM,
seu veriùs dicam;
Orbis Academici Indefessum Atlantem.
Quo Bajulatore,
non succubuit, sed altiùs surrexit.
Debent Tibi plurimum
domesticæ Musæ.
Pro quibus Procuratorem,
aliquoties agens
sudasti multùm & alsisti.
Agebas illa quæ cunctos
in stuporem rapiunt,
Vir ipso enutritus labore.
Prævidebas futura
Centoculus Argus.
Contra adversantium impetus
Aheneus Murus.
Os populi meruisse, pulchrum est,
Sed Magnatum devincere corda

Hoc ſummæ gloriæ
& triumphi.
Si cui contingit
Tibi vel maximè
Perilluſtris & Reverendiſsime Domine
Neo-DOCTOR.
Adhæſiſti cordi
Illuſtriſsimi & Excellẽtiſsimi
Domini
D. THOMÆ
ANTONIJ
Hæredis in Zamośćie ORDINATI
ZAMOYSKI,
PALATINI LUBLINENSIS
CAPITANEI Płoſkierovienſis, &c.
Regum Ocelli,
Senatorum Corculi,
Liberæ Gentis Præſidij
Muſarum acerrimi Defenſoris
& Protectoris Faventiſsimi.
Qui Te Supremi Tribunalis
Do-

Dominij Civitatum
Ordinationis Zamoſcenſis
Generalem ac Privilegiatum
Aſſeſſorem elegit.
Sciens perbellè,
Te Prothonotarium Apoſtolicum,
pro Juſtitia optime decertare.
Magnum eſt affectus meruiſse Parentis,
ſed non minus
natæ ad maxima Indolis
Illuſtriſſimi Domini
CLEMENTIS
in Zamośćie
ZAMOYSKI,
Capitanei Tarnavecenſis,
Vivam Hic Parentis in ſe
exprimit imaginem omnibus affabilis
CLEMENS & gratioſus.
Gaudet Zamoſcia Pallas Protectore ſuo
ILLVSTRISSIMO PALATINO,
Quòd Eam
Juribûs & Privilegîjs firmaverit.
D Gau-

Gaudet & Insignis Collegiata Zamoscensis
Quòd eam insignijs Reverendissimis
adornaverit
Tantas ergo Vestrûm Dotes Cracia spectando Themis,
ARGUMENTUM à PARI concludit.
Ergo utriq; laureati cedat diadema
honoris.
Vestra hæc est gloriæ materies
Perillustres & Reverendissimi
D. J. V. Neo-DOCTORES
Quòd pro Herculeis in Ecclesia DEI &
Literario Orbe laboribus
immarcescibili coronemini laurô.
Sub hoc victrici laureati Honoris
Diademate ad singulare
Ecclesiæ DEI ornamentum,
Patriæ subsidium, vivite sospites
Doctorali Vestrûm Coronæ,
Militet honor & fortuna; pares vos Alcidas
ad sufferendos labores Literaria spectavit Pallas,
etiã Eruditæ virtutis & Laureati Honoris
sit
à Pari
ARGVMENTVM.

